

Appendix.—Europa Nro. 26.

## Regnum Mortuorum.

Sermo politicus de cura Infelicium in Civitate.

In Elisio 15. Martii 1803.

Textus.

*Date obulum Belisario, quem virtus evertit, invidia depressit.*

Quid sentiemus de moralitate, gratitudinisque affectu temporibus Justiniani Imperatoris circa annum Christi 565, dum in historia legimus, Generalem, Ducem, verbo *Belisarium*, lumine oculorum vi maligna orbatum, dotum stipem mendicasse, Ductoremque ejus occurrentibus *masse: Date obulum Belisario, quem virtus evertit, in-* *depressit.*

Caecitas est malorum maximum, quae homini accidere possunt. Regimen Justiniani debuit multum esse corruptum, cum nec Heroi, quem malitia oculis orbatum, providerit. Ita fuit etiam sub aliis populorum Domitoribus, de quibus historia res magnas narrat. Roma, et Constantinopoli triumphantibus, gemebant gentes sub jugo victoriarum. Venit tandem Religio Christiana, quae omnes homines fratres effecit, sensum mansuetudinis cordibus eorum instillavit. Omnes Christiani habent se mutuo pro filiis ejusdem Patris communis, et successive surrexere Instituta, quae citra culpam miseris succurrerunt, surrexerunt nosocomia, et Xenodochia pro aetate fractis, et conabantur fratres mutuo sibi alleviare peregrinationem in hac miseriarum valle, coelum communem patriam considerantes, ubi omnes convenirent.

In regionibus, in quibus argutae Philosophorum subtilitates necdum obscurarunt religionem, idem hodie quoque regnat spiritus. Civitas est una familia, et fatum unius afficit omnes, si illud culpa vacet. Ita narravit nuper Peregrinator quidam, se in Bohemia plurima ejusmodi humanitatis Instituta offendisse, ubi vix aliquis notabilior locus Instituti in solatium senum et pauperum caret; Praeprimis laudavit Institutum Fratrum Misericordiae, quae nihil certe aliud, quam coelum ac arduum curae aegrorum onus vocat, aut pro eo praemiare potest. In hoc eodem regno erectum est etiam Institutum caecorum; de quo pauca habeto.

*Pragae:* Sua Caesareo Regia Majestas Projectum Consilarii Gubernialis, et Circuli Peraviensis Capitanei *Pro-*

*copii Platzer*, pro erigendo privato Instituto caecorum, quod Sua Excellentia supremus Cammergraphius Comes *Vallis* voto secundaverat, medio Decreti Cabineti de 2. Decemb. 1807. non tantum clementer probare; sed et hunc salutarem in scopum domum propriam, ad *Hradschin* sitam assignare dignata est. Ad effectum hujus Instituti jam sedulae admoventur manus, et eadem munifica Principissa, quae nuper belneo militari Schönaviensi 3000 fl. donaverat, ad hoc quoque caecorum Institutum 1000 fl. jam contulit. Laudabile hoc exemplum secutus D. Baro *Franciscus Hillebrandt* cum 500 fl. quorum nomina Institutum hocce perennabit, exemplumque eorum mox alios quoque in hac, ad benefaciendum adeo fertili patria excitabit, ut Institutum isthoc, quod toti humanitati non minus necessarium, quam fundatoribus honorificum est, mox ad perfectionem deducatur.

Porro de eodem Instituto Ephemerides Pragenses de 29. Januarii haec habent: Novum Institutum Caecorum hac in Metropoli erigendum, tendit ad scopum; qui est: miseris caecitate pressas proles calamitati, quae eas necessario maneret, eripere, religione, moralitate, necessariis notionibus imbutas, in bonos christianos, ac honestos homines formare, eas in variis manualibus laboribus, et Artificiis pro genio cujuslibet instruere, ne sibi ac aliis utiles evadant; hacque ratione impedire, ut otiosi mendici, et homines degeneres civitati, ac humanitati oneri sint. Felix hujus Institui jam in ipsis primordiis progressio merito sperare jubet, fore, ut cum hoc Instituto, notanter ars curandi morbos oculorum cum tempore conjungatur. Argumentum pro hac spe est clementia Augustissimi Imperatoris, qua planum hujus Instituti probare dignata est; et infatigabile studium Procerum Bohemiae, quo in perfectionem hujus Instituti feruntur, ac praecipuis Gubernatoris (Palatini, seu Burggraphii) Comitis Josephi Vallis, cujus Litterae, ad superius attactam Principissam scriptae, aeternum in Annalibus Bohemiae veri patriotismi, ac humanitatis futurum est monumentum; Et:

Celsissima Princeps!

Consiliarius Gubernialis D. *Platzer* nunciat mihi, Celsitudinem Vestram in beneficium erigendi pro caecis Instituti eidem 1000 fl. consignasse. Institutum hoc, ipsi Suae Majestati Benigne probatum, sicut spectato scopo laudabile est, ita Monarchiae Austriacae honorificum, et cuivis cordato civi gratum est. Non possum suppressere solatium, quod me, velut Rectorem Provinciae, in qua salutare isthoc Institutum nascitur, qui ipse summus ejusdem cultor sum, ad declarandam Celsitudini Vestrae gratitudinem pro

littera  
2 cruc  
184/3  
in ten  
pientes

hocce generoso dono impellit, summamque devotionem exprimendam, qua sum.

Pragae 5. Januarii 1808.

Celsitudinis Vestrae  
Obsequentissimus servus  
Josephus Comes *Wallis*.

Exemplum hocce Principissae plures jam habuit imitatores. Sed quis, cui cor humanum est, sine lacrimis legat sequentes litteras quorundam puerorum scholasticorum in Schlukenau ad Institutum mutorum et surdorum Pragense.

Dilecti Fratres, et Sorores!

Quam salutare sint doctrinae bonae Institutionis practicae scholasticae argumenta est denatus condiscipulus noster, *Antonius Röttig*. Anno aetatis 12 incidit idem in morbum periculosum, qui eum ingentibus cruciabat doloribus, Vicini, et amici convenerant, qui eum in agone consolentur; sed notiones ejus scholasticae, et principia cum admirabili patientia; qua acutissimos perferebat dolores, suggererant juvenili ejusdem cordi argumenta consolationis, quae ipse erga amicos, qui ad eum inviserant, adhibuit, quae continebant doctrinam, qualiter quisquis ad longam mortis viam semet praeparare debeat. Pridie Nativitatis Domini sub vesperam accersito Patre, his eum affatus erat: Pater! ego mihi, ut scis, duos cruciferos ex labore manuum aquisivi, et reposui, hos dato post mortem meam Magistro, ut illos Pragam pro surdis et mutis mittat. Utinam plus haberem, quam lubens plus mitterem! Ast Benignus meus Salvator, ad quem ego adhuc hodie veniam, tenue hoc donum meum, quemadmodum Viduae illius in Jerusalem, spero non contemnet, et sorti miserorum horum per ditiores benefactores succurret. Nos imitatur exemplum egregium hujus Collegae nostri, et dono ejusdem nostros quoque addidit obellos, et eni: accrevit illud ad 4 fl. 183/4 xr. quod hicce vobis cum sincero fraterno affectu mittimus. Dum has clauderemus litteras; venit *Josephus Pitschmann*, et addidit obello nostro adhuc 1 fl. Accipite itaque exile hocce donum fraterno affectu, et memento de scholasticorum schlukenausium, qui se in fraternam recordationem commendant. *Josuas Rössler*, *Caleb Rössler*, *Ignatius Weber*, *Antonius Kirchner*.

Postscriptum Magistri *D. Miller*.

*Carolus Bollmann*, Magister Scholae in Hermsdorf, has litteras legens, dicebat: Juvenis egregie! ego addo ad tuos 2 cruciferos duos florenos, et sic accrevit donellum ad 7 fl. 184/3 xr. Quis non benedicat memoriae hujus juvenis, qui in tenerrima aetate adeo sublimia sensa habuit; et adeo sapienter obiit? Quam felix communitas *Schlukenau*, cui ta-

lis obtigit magister, qui teneribus juvenum cordibus talia principia, hoc est, verum Christianismum, instillare novit.

*Pro magnis animis magnâ Projecta.*

Architectus quidam, indutus pelle Leonis, venit in castra Magi Alexandri, et proposuit illi giganteum illud perfectum, ut ex integro monte *Athos* statuam efformaret, cujus barbam repraesentabit integra silva; dextra manu gestabit unam civitatem; sinistra vero incumbet urnae, ex qua ingens fluvius cum strepitu promanabit, atque haec statua debuisset repraesentare Alexandrum. N. B. *Athos* (mons sanctus) est unus ex maximis montibus in una peninsula Archipelagi in Macedonia, in quo sunt 28 claustra, et amplum oppidum *Kurris*. — Perpende, Lector, ingens hoc projectum — sed pro magnis animis — Magna Projecta! (Journal de Paris.)

Quo magis adpropingvat ver, hoc magis implicantur politicae relationes ad Aquilonem; nam in his regionibus bellum brumali tempore semet continere debet, quemadmodum quaedam ferae in suis speluncis, Interim in Septemtrione ludit Svecia singularem prorsus scenam (Quandiu adhuc?) Litteris fidedignis Holmia referentibus, petit Svecia ab Russia neutralitatem; vult, ne Russi Finniam Svecicam invadant, contra vero promittit se Rex effecturum, ne ulla navis anglica ad mare balticum penetret, et se quoque in mari baltico in statu neutralitatis mansurum. Minatur praeterea, si Russi hanc propositionem non acceptarent, se cum 14 navibus suis excursurum, apertaque Angliis per fretum oresundicum via, classem suam cum anglica conjuncturum, atque portus omnes russicos, borussicos, et danicos igne, ferroque vastaturum.

Videtur ex hoc, spiritum Gustavi Adolphi, et Caroli 12. adhuc non fugisse penitus ex Svecia. Sed an Gustavus, aut Carolus per omnes suas victorias, et triumphos Sveciam aut auxerunt, aut feliciorum reddiderunt? — Historia dicit, — *Non*. Quid autem, si Rex Sveciae proposito suo insistat? tunc calamitatum, et devastationum nullus finis; et portus maris baltici multa patientur.

Haec mala per celere duntaxat operationem praeventi possunt, si nempe copiae gallicae cum danicis cum sua consueva celaritate ex Seelandia in Sveciam trajiciant, et versus portus Svecicos praecurrant, Russi autem ex parte Finniae operentur; et reipsa hoc videtur esse planum; jam enim copiae gallicae ingressae sunt Holsatiam, et legio equestris Ahrembergiana, quae primum agmen exercitus ad Hamburgum constituit, jam 5. Martii Altonam advenit. Inter haec stupendum, quod sola Svecia cum Anglia potentiae Galliae ac Russiae etc. resistere velit.

Feu

novis  
turba  
stultitales  
subri  
omni  
videb  
Dic n  
hetica

gustu

convi  
indige  
rit. A  
juxta  
protu  
quitas  
esse,  
Terti  
lum c  
xisset  
pto v  
latii n  
ad ae